

Sujets des Conférences Ecclésiastiques du Diocèse de Québec, pour l'année 1859.

CONFÉRENCE DU MOIS DE JANVIER.

Titius et Bertha, e parochia S... in Archidiœcesi Quebecensi, consanguinei in quarto gradu, anno 1856, matrimonium contraxerunt cum dispensatione concessa ab ordinario. Bertha quæ vulgo putabatur major, bona fide abstinuit a requirendo consensu tutoris. Parochus autem postea comperit 1o. eam tempore matrimonii fuisse minorem, 2o. eam Caio promissionem matrimonii olim fecisse, acceptatam et nunquam revocatam. Hac occasione quæritur, attenta dispensationum formula quæ in Archidiœcesi Quebecensi anno 1856 adhibebatur,

1o. *Quinam defectus annullare possint dispensationes sive impedimentorum, sive bannorum ?*

2o. *Utrum validum sit matrimonium Titii et Berthæ in casu ? et quatenus negative,*

3o. *Quomodo procedendum sit ad ejus revalidationem ?*

QUESTION SECONDAIRE.

In administratione sacramenti pœnitentiæ, Sempronius parochus nunquam utitur stola violacea, adhuc adhibet in initio confessionis veterem formulam benedictionis, olim usitatam in Archidiœcesi Quebecensi : *Deus sit in corde tuo*, &c., et tandem semper omittit " *Miscreatur...* " et " *Indulgentiam...* " ante formulam absolutionis.

Ejus autem confessarius ipsi absolutionem denegat nisi Rituali Romano sese omnino conformare studeat. Quærit igitur Sempronius utrum prohibeatur

1o. *Audire confessiones absque stola violacea ?*

2o. *Adhibere benedictionem : Deus sit in corde... ?*

3o. *Omittere* " *Misereatur...* " *et* " *Indulgentiam...* " *ante formulam absolutionis ?*

CONFÉRENCE DU MOIS DE MAI.

Dum quoddam palatium incendio consumeretur, Caius vas vitreum pretiosissimum, cum intentione illud furandi, e palatio asportavit. Vix autem domum suam ingressus, pœnitentia ductus, statuit firmiter illud restituere statim ac dominus illud commode recipere posset post incendium. Dum illud ad dominum summa cura reportaret, lapis e tecto decidens vas vitreum perfregit.

A suo confessario quærit Caius *utrum teneatur hujus vasis pretium domino refundere ?*

QUESTION SECONDAIRE.

Joannes Missionarius forte invenit infidelem moribundum cui suasit ut actum fidei in hunc modum eliceret: " *Deus trine, ego volo salvari et ego credo quidquid credit Ecclesia Catholica.*" Deinde ipsum baptisavit. Quæritur hac occasione

1o. *Quænam dogmata explicite credenda sint ab adultis ut valide baptisentur?*

2o. *Quænam sufficiat credere implicite?*

3o. *Quid sentiendum de valore baptismi in casu proposito?*

CONFÉRENCE DU MOIS D'AOÛT.

Sempronia ancilla, cum olim a sua domina Bertha, propter levem inobedientiam, gravissimis minis et contumeliis affecta fuisset, ulcisci statuit. Sciens dominam suam ad iracundiam valde pronam esse, eam ita per inobedientias continuas et graves provocavit, ut Bertha, juxta intentionem Semproniæ, gravissime ex ira per tres menses ægrotaverit. Nunc autem Sempronia a suo confessario quærit *utrum ad aliquam restitutionem teneatur erga Bertham?*

QUESTION SECONDAIRE.

Paulus parochus domum revertens ab administratione Extremæ Unctionis, jacentem in via invenit quemdam hominem prorsus ignotum, omni sensu destitutum et mox moriturum. Ipsi absolutionem et Extremam Unctionem sub conditione administrat.

Quæritur 1o. *An sacramenta possint administrari sub conditione moribundis ignotis?*

2o. *An bene se gesserit Paulus in casu?*

CONFÉRENCE DU MOIS D'OCTOBRE.

Sempronius parochus mox celebraturus matrimonium inter Titium et Bertham, a Paulo patre Titii sub sigillo sacramentali monetur Bertham esse Pauli filiam illegitimam, ac proinde sororem Titii. Hinc Sempronius anxius quærit

1o. *Quinam teneantur revelare impedimenta matrimonii, et sub quibus pœnis?*

2o. *Utrum possit et debeat Paulum urgere, etiam per denegationem absolutionis, ad revelandum impedimentum, sive ante, sive post celebrationem matrimonii?*

3o. *Utrum teneantur Titius et Bertha ab illo matrimonio abstinere, vel ab invicem separari, si tandem Paulus ad revelandum impedimentum adductus fuerit?*

QUESTION SECONDAIRE.

Quidam catechumenus, cum audisset pejorem esse in inferno damnationem baptisatorum quam infidelium, propter characterem baptismi, hanc conditionem in seipso expressit quando baptisatus est: "*Ego intendo suscipere baptisma solummodo si Deus prævideat me valvandum.*"

Nunc autem anxietatibus torquetur et quærit

1o. *An licite et valide possint apponi conditiones in susceptione sacramentorum?*

2o. *An possit licite suscipere sacramenta pœnitentiæ et eucharistiæ?*

3o. *An iterum baptisandus sit?*